

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 66. Aliqui ad examinandos sacræ Paginæ textus subinde corruptos  
deputati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

§. LXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1546.

*Aliqui ad examinandos sacræ Paginæ textus subinde corruptos deputati.*

Pallav. c. 12.  
n. 2. & seq.

Interea sex illi Patres Decretum, quod circa sacros divini Codicis libros ac Traditiones confidere jubebantur, ad Synodus deferebant, communi omnium consensu approbatum. Verum rursum agitabatur quæstio de Decreti titulo; nonnulli enim Praefules, atque inter eos Fesulanus, hæc verba: *Universalem Ecclesiam repræsentans*: addi petebant: obstat tamen Cervinus, mox que litigantes composuit, cui etiam Aquensis Archiepiscopus suffragatus est. Postmodum Legatis præsentibus in quodam congressu die vigesima quarta Februarii celebrato agebatur de sacræ Scripturæ depravationibus, ad quas ritæ detegendas feligebantur Aquensis Archipræfus ac Marcus Vergerus Senogalliensis Episcopus, quibus adjungebantur Episcopi Cavensis, Castellomarinus, Fanensis, Bituntinus & Asturiensis, præter Seripandum supremum Augustinianorum Præfectum, duos Franciscanos Alphonsum de Castro, & Richardum Cenomanensem, nec non Ambrosium Catharinum ex Ordine Fra-

Hh 5 trum

Sæcul. XVI. trum Prædicatorum. Præscriptum est  
A.C. 1546. insuper Theologis, ut bis saltem singu-  
 lis mensibus privatim, invitatis etiam,  
 quotquot poterunt, aliis Episcopis con-  
 venirent, ut istorum quoque consiliois  
 adjuvarentur, ea tamen lege, ut cun-  
 cta ibidem agitata religioso silentio pre-  
 merent. His ita statutis die decima  
 septima Martii Congregatio fuit habita,  
 in qua præfati Doctores ex sacris Lite-  
 ris ea, quæ ab aliis suis corrupta su-  
 spicabantur, loca referebant, simul-  
 que remedia opportune adhibenda pro-  
 ponebant.

### §. LXVII.

*Quatuor abusus circa sacri Codicis  
 versiones præcipue observati.*

Pallav. n. 3. Rem totam prius Aquensis Episcopus  
 breviter exposuit, postea vero Bi-  
 tuntinus Episcopus utpote facundior  
 prolixius peroravit: igitur hi præcipue  
 quatuor abusus, qui in sacræ Paginæ  
 versiones irrepserant, annotarunt. Pri-  
 mus erat *tanta versionum varietas*, qua  
*divini Verbi veritas reddebatur incerta.*  
*Huic malo visum erat occurri posse unica ex*  
*cunctis versionibus, tanquam legitima consti-*  
*tuta, ea videlicet, quæ maximam obtinebat*  
*authoritatem ex Ecclesiæ usu communi, adeo-*  
*que vulgata nuncupabatur.*

Alter